Epistola 179. IOHANNI COCCEJO ABRAHAMUS HEIDANUS

S.P. Reverende et amicissime D. Collega,

Dici non potest, quanto cum taedio hic vivimus. adeo omnia contraria et hostilia hic experimur, ut abjectis pacis artibus serio bellum meditari, vel nobis insidiam, cogamur. Videntur mihi hi homines toti ex versutiis conflati, et non solum distinctionum, sed et exceptionum et tergiversationum artem ad unguem callere, et nulla in re fori rabulis cedere. Res nobis est cum Consistorialibus, inter quos non ultimum locum occupat ὁ δεῖνα, qui ad pedis nomen habet, et ubique se ut caput gerit, dum nihil intentatum relinquit, quo nos ludificetur, et inanes dimittat.

Heri quaestum nobis res fuit cum istis fratribus, et aeque certi sumus ac prius. Jam res ad integrum Senatum rejecta est, quem compellare ante diem lunae non licet. atque inde etiam nihil expectandum quod rebus nostris promovendis conducat. Omnia tamen tentanda, ne causam deserendo risui his hominibus deveniamus, qui id unice videntur agere, ut re infecta irati discedamus. Et certe nisi spes affulgeret a D. Hornbeckio, ut rogatus se nostrum esse velle profiteatur, nihil aliud quam laterem lavaremus. ~~Jus~~ Quicquid hactenus a Synedrio missis precibus petivimus, ut exaudiri possit, et monitis suas super hac re aperire, in cassum cecidit, dum surdis canimus. Jam in hoc sumus, ut illi persuadeamus, velit saltem nobis constare de sua voluntate, quo nobis coram Magistratu et Consistorio de ea testari liceat. Id si obtinemus, sicut spes est, non id negatum iri nobis, tum saltem eo rem deduxerimus, ut solitis artificiosis illis tergiversationibus, in rem praesentem venire compellantur. Unum certe esset, invitum detinere velle, et omnibus ingratiis constringere, ut ne unquam de discessu cogitare possit. atque tamen id agitur, ut in hoc exemplum statuatur in futurum, ne quis scilicet id praesumat ut hujus sanctuarii sacerdotes sollicitare audeat, aut ullus, praeter deos immortales, numinis eorum immunitate. certe res libertatis agitur, quae nunc tota in Hornbeckio periclitatur. Interea ego a vobis et omnibus charissimis meis abstractus, miseras noctes, et miseriores dies traduco, ~~nihil~~ ~~adeo~~ nunquam non de vobis et Leyda nostra cogitans, cujus amor mihi crescit in horas. spero tandem aliquando nos bonitate causae triumphaturos. Id faxit deus, cujus gratiae et protectioni te et familiam commendo. Saluta a me et D. Hornbeckio, et Syndico, D. Triglandium, Coloniam et Collegas. Vale. Ultrajecti ex Diversorio

21. Nov. 1653. T. D. A. Heidanus.

attinet, quod sciren te in tam illustr
distringi negotiis, adeoq vix vacare
qui hominis tibi peregrini et forte
multo minus alicui responsionis;
scriptum illud tuum, quod solum hu
lia credebam, in nonnullis diff

Reverendo doctissimo
celeberrimoq viro
D. Johanni Coccejo, S. Theol.
Doctori et Professori, in
alma Academia Lugduno-
Batava.

Lugd.